Fragmentarium

Dnica .ii. post octab. Pasche
alleluia. Benedictus dns deus meus. Capitulum
Redempti estis de uana uestra conuer-
satione paterne traditionis. pretioso
sanguine quasi immaculati agni et
incontaminati xpi precogniti quidem
ante constitutionem mundi. manife-
stati autem nouissimis temporibus
propter uos. V. Mane nobiscum dne. quoniam ad-
uesperascit alleluia. R. Ego sum alpha et ω pri-
mus et nouissimus initium et finis qui ante mun-
di principium et in seculum seculi uiuo in eter-
num manus mee que uos fecerunt clauis con-
fixe sunt spinis coronatus sum propter uos flagel-
lis cesus sum absque penis pene mee uos uide-
te quia ego ipse sum preter me non est deus
in eternum. alleluia. euouae.
collecta
Ds qui credentes in te baptismatis
fonte innouasti. hanc renatis in xpo
concede custodiam. ut nullo erroris
incursu gratiam tue benedictionis
amittant. P. Invitat. Alleluia alleluia.
Ego sum qui sum. Ps. Beatus uir. V. Resurrexit dns.
In illo tempore. Dixit ihc Secundum Iohannem
discipulis suis. Ego sum pastor
bonus. Bonus pastor animam suam
ponit pro ouibus suis. Et reliqua. Audi- o. bigg.
stis fratres karissimi ex lectione euangelica #r de ca.
periculum uestrum. Ecce enim is
qui non ex accidenti dono sed essen-
tialiter bonus est dicit. ego sum pa-
stor bonus. atque eiusdem bonitatis
formam quam nos imitemur ad-
iungit dicens. Bonus pastor. animam
suam ponit pro ouibus suis. Fecit
quod monuit. ostendit quod iussit.

Bonus pastor animam suam ponit
pro ouibus suis. ut in sacramento
nostro corpus et sanguinem uerteret
et oues quas redemerat carnis sue
alimento satiaret. Ostensa est no-
bis de contemptu mortis uia quam
sequamur. apposita forma cui im-
primamur. Primum nobis est
exteriora nostra misericorditer ouibus eius
impendere. postremum uero si neces-
se sit etiam mortem nostram pro eis-
dem ouibus ministrare. A primo au-
tem hoc minimo. peruenitur ad
postremum maius. Lectio iii.
Mercennarius autem et qui non
est pastor cuius non sunt oues pro-
prie uidet lupum uenientem. et di-
mittit oues et fugit. Non pastor
sed mercennarius uocatur. qui non
pro amore intimo oues dnicas sed
ad temporales mercedes pascit.
Mercennarius quippe est. qui lo-
cum quidem pastoris tenet. sed lu-
cra animarum non querit. Ter-
renis commodis inhiat. honore
prelationis gaudet. temporalibus
lucris pascitur. impensa sibi reue-
rentia ab hominibus letatur. Iste
sunt et enim mercedes mercennarii.
ut pro eo ipso quod in regimine
laborat hic quod querit inueniat
et ab hereditate gregis in posterum
alienus existat. Utrum uero pastor
sit an mercennarius. ueraciter cognosci
non potest si occasio necessitatis
deest. Tranquillitatis et enim tempore

Stak in N° 74

License: cc-by-nc-sa – Scherpenheuvel-Zichem, Abdij der Norbertijnen van Averbode, Archief, Sectie IV, hs. 417, 14, fol. [1]r – Noted breviary (https://fragmentarium.ms/view/page/F-m557/7123/69815)